

mecum porto: Quæcunque extra animum sunt nec bona nec sua iudicans, sed fortunæ. Nec sum nescius, dictum hoc non Bianti sed Stilboni tribuere Senecam, quem in epistola quadam refert, capta patria, amissis liberis & uxore, solum, sed beatum ex incendio publico excuntem, interrogatum à Demeirico Rege illo formidato urbium euersore, Vtrum omnia perdidisset, respondisse: Omnia sua secum esse. Ut volet quisque accipiat, siue Bias, siue Stilbon dixerit, de auctore potest dubitari, de dicti ipsius maiestate ac sapientia nequaquam. Qui Bianti hoc ascribere maluerunt, testem locupletissimum ac fide dignissimum Ciceronem & sequaces, eius qui Stilboni Senecam citabunt, & ipsum quoque magnum testem. Potest autem fieri, ut & Bias hoc dixerit, & Stilbon: Sine quia alter alterius dictum legendo vel audiendo didicisset, siue quia, ut in Oratore ait Cicero, similitudine ingenij, in eadem vestigia incurrisse. Quod si res omnino in disceptationem veniat, scio cui ex testibus plus apud me fidei sit, nisi quia Cicero quodam loco, hoc narrans sic ait: Sæpè illum laudabo sapientem Biantem,